Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quod ruben egressus in agrum inuenit mandra
goras quas dedit lie matri sue. Pro quibus
rachel concessit sorori ut ea nocte Iacob cum
ea dormiret. Dicuntur autem mandragore
hanc habere naturam ut et sompnum prouocent et ho
minis imitentur ymaginem et sterili prestent
fecunditatem. Per quod datur intelligi quia
sancti uiri et solius dei complexibus inherentes ali
quando quasi graui sompno grauati eos quibus
deum contemplabantur oculos claudunt et ceterorum
hominum imitantes imaginem nolentes huic
uite penitus inutiles esse et infecundi terrenarum
rerum dispositionem et procurationem in se susci
piunt. Hoc autem et apostolus faciebat qui quasi rachel
raptus usque ad tertium celum mox quasi lya ad ma
maritales descendens concubitus ait. Vir
uxori debitum reddat similiter et uxor uiro. Vir
non habet potestatem sui corporis sed mulier. et mu
lier non habet potestatem sui corporis sed uir. Et
qui exemplo actiue uite agit hec cum contempla
tiua. non inmerito dicitur quod rachel has man
dragoras a sorore emerit. Quia uero non nisi
una nocte ei maritum concessit. non diutius
ab eius contemplatione se extraneam fore significat.
Iacet autem cum lya. Iacet uero cum Rachele habitat
Iacob. cum illa carnaliter cum hac spiritualiter. Ex
illa filios generat huic se inuisibilem prebet.
Suscipiens igitur Rachel mandragoras .i.
terrenarum rerum ad tempus curam gerens conce
pit et peperit filium. Letare igitur sterilis que
non paris erumpe et clama que non parturis
quia filii deserte magis quam eius que habet uirum.

Sequitur autem de eo quod Iacob postulauit
a laban ut quicquid in ouibus et capris
rufum maculosum et uarium fuerit sibi pro
mercede daret. Hoc autem cum laban concessis
set uidissetque in sompnis Iacob omnes mares
uarios et maculosos super feminas ascendis
se. tulit uirgas populeas uirides et amig
dalinas et ex platanis. Quas ex parte decor
ticauit. et ex parte cum corticibus reliquit. posu
itque eas in canalibus ubi effundebatur aqua.
ut dum uenissent greges ad bibendum in earum
conspectu conciperent. Dicunt enim philo
sophi quod in conceptu exteriorem uisum natu
ra sequatur. et quod uisus contemplatur exte
rius hoc natura operatur intus. Unde in con
ceptu equarum siue canum quidam eis ante o
culos mares optimi generis ponere soleant.
Narrant etiam quandam mulierem ethiopem pepe
risse. quia in eo tempore quo concipiebat eius figuram
in pariete depictam conspexerit. Quod quidem
ex hiis que modo narrantur satis uerisimi
le esse uidetur. Sed quid per canalia quibus
aqua effundebatur nisi ecclesie doctores intel
liguntur. ex quorum ore quasi quibusdam ca
nalibus sapientie et scientie fluenta decurrunt.
Quid uero per uirgas nisi sermones prolixi
longeque sonantes scripturarum. Que quidem ex ea
parte decorticate sunt. secundum spiritualem intelli
guntur. ex ea uero cum corticibus relinquuntur
secundum quam iuxta litteram et in sola superficie
exponuntur. Que quia semper uirescunt et numquam
deficiunt merito uirides fuisse perhibentur. Quarum
alie quidem hiis qui uitiorum estu ardent refrige
rii et suauitatis umbram prebent secundum popu
li platanique naturam. Alie dulcem et delectabi
lem saporem prestant ad amigdale simi
litudinem. In istarum igitur conspectu et intelligen
tia oues sancte ecclesie quas pastor bonus nutrit
uerbi dei semen concipientes multarum ua
rietatum filios pariunt. de qualibus scriptum est.
Omnis gloria eius filie regis ab intus in fim
briis aureis circumamicta uarietate. Non enim
unius coloris sunt ecclesie filii set pro diuersita
te uirtutum quasi quedam gemme diuersi colores in
eis refulgent. Hoc autem Iacob iam ex eo tempo
re preuidebat quando in sompnis mares super
feminas non nisi uarios ascendisse ui
debat. Hanc autem uarietatem non solum docto
res ecclesieque magistri uerum etiam ipse plebes habere
probantur.

Dehinc autem narratur quod Iacob fugiens
laban cum uxoribus et liberis omnique
substantia quam possederat reuerteretur ad terram natiui
tatis sue. Quem laban septem diebus persecutus
comprehendit in monte Galaad. Admoni
tus autem a domino ne contra Iacob quicquam aspere
loqueretur facto federe cum eo reuersus est in locum
suum. Iacob uero abiit itinere quo ceperat. Di
ximus enim quod laban hunc mundum significet.
Merito igitur Iacob cum uxoribus et filiis omnique
substantia fugiens laban reuertitur in terram
patrum suorum. quatenus nobis daret exemplum
ut non diligamus mundum neque ea que in
mundo sunt. Fugiamus igitur mundi seruitutem
cum omnibus amicis et propinquis quos uel exem
plo uel admonitione saluare ualemus. Reuerta
mur in terram patrum nostrorum in terram lacte et mel
le fluentem in terram in qua habitat Habraam

XXXI